

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

---

August Varenius Paul Lütkemann

## **Exercitatio Theologica De Peccato Originali**

Rostochii: Kilius, 1671

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn740892169>

Druck Freier  Zugang



RU theol. 23. Sept. 1671

Varenius, Aug. /a



Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de  
/rosdok/ppn740892169/phys\\_0002](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn740892169/phys_0002)

**DFG**



Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de  
/rosdok/ppn740892169/phys\\_0003](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn740892169/phys_0003)

DFG



Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de  
/rosdok/ppn740892169/phys\\_0004](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn740892169/phys_0004)

DFG

5.

EXERCITATIO THEOLOGICA  
*De*  
**PECCATO**  
**ORIGINALI,**  
*Quam*  
Ex Consensu Reverend. Facul. Theol.  
SUB-PRÆSIDI

*VIRI Maxime Reverendi, Amplissimi & Excellentissimi*  
**D N. AUGUSTI**  
**VARENII, D.**

Sereniss. Ducum Meklenburg.

Consistorii Assessoris gravissimi, Pro-  
fessoris Theologi Celebratissimi

D N. Præceptoris ac Fautoris per om nem  
ætatem suspiciendi

Piæ ac sobriæ ventilationi subjicit

AUTOR

**PAULUS LUTKEMANN,**

Spandoâ Marchicus

habebitur ad diem 23. Septembris horis ab 8. antemerid.

*In Auditorio Majori.*

---

ROSTOCHII, Typis JOHANNIS KILII, Acad. Typogr. Anno 1671.

EXERCITATIO THEOLOGICA  
DE  
PREGGATO  
ORIGINALE  
ExGENUINIS RECENTIIS FESTIVITATIBUS  
SUB TERRA STUDIO  
ANNO MAXIMO SISTENS ANTHEMIA EXCELSISSIMA  
DN. AUGUSTI  
ARENHED.  
SCELESTE; DUCUM MECLENBURG.  
CONSTITUTI ALLEGORICIS ET PICTIS  
FESTIVIS TERRA STUDIO  
DNI FRANCISIUS CLAVIUS DEI OMNIA  
RISERUNT ILLIBICEDIS  
HIS AC IOPIS AETERNIS ILLIBICEDIS  
ANTRIS  
PAULUS FUJIKEMANN  
SPANDOE MELCHICUS  
IMPENSIS AC QUESIS; QUITATIONIBUS JONAS ABG. MELCHICUS  
IN VENETIA VENIT  
ROSTOCKI, TIBI JOHANNIS RIEPI, AC E. T. LOG. VENITIIS



בְּשׂוֹרָה וְהַוָּה

*Thes. I.*

## Datur peccatum Originale.

§. 1.



Egarunt hoc olim *Pelagiani*,  
qui (referente Chemnitio P.I. LL.CC.  
p. 239) docuerunt, nihil esse pecca-  
tum nisi quod ratione propriæ vo-  
luntatis committitur. Eundem fo-  
vent errorem *Sociniani*, sic enim  
*Catechismus Racoviensis* Cap. X. p. 284,  
Es ist keine Erb-Sünde / hat dem-  
nach dadurch der freye Wille des  
Menschen nicht können verdorben  
werden: denn es kan aus *H. Schrift*  
nicht bewiesen werden/dass eine Erb-  
Sünde seyn solte. Nec saltem ex ipsis Pontificiis Albertus Pighius  
& Ambros. Catharinus juxta quos peccatum originis nihil aliud fuerit  
quam prima illa Adami inobedientia actualis, quæ sola imputacione sit  
in parvulu: sed & nec ceteri Pontificii à Syncretismo Pelagiano po-  
terunt absolvī ob hypotheses, quas fovent, vid. Chemnit. p. 1. Exam.  
Conc. Trident. de Peccato Orig. Meissn. Antropol. Sacra Decad. 1  
Disp. V. qu. 2.

§. 2. Possemus hīc magno numero Adversariis Scriptu-  
ræ testimonia opponere, sed satius ducimus, si ex numero illorum  
modò illa, quæ maximum videntur afferre nobis, adduxerimus;  
Urgemus ergo loca Scripturæ classica.

A 2

I. Gen.

I. Gen. VIII, 21. Nequaquam ultrà maledicam terræ propter hominem, *figmentum enim cordis humani malum est ab infantia.* Non de actuali, sed Originali peccato hunc textum agere probatur (1) quia agit de tali peccato, quod toti humano generi commune est; hinc utitur phrasí : *Figmentum cordis humani.* (2) quia agit de peccato, quod dūrat ab utero, quā de ætate actuale peccatum prædicari nequit. Nec possunt heic latibulum querere Adversarii in vocabulo נַעֲמָן, ac si de adolescentia textus loquatur, quæ aetate peccat sœpissimè; Et si enim concedimus vocabulum עַזְבֵּן quandoque adhiberi de Adolescentia, probandum tamen Adversariis est in hoc ipsoloco eandem obtinere significationem ; Nos ipfis opponimus locum Exod. II, 6. Judic. XIII, 5.

II. Psalm. LI, 7. *Ecce in iniquitatibus formatus sum. & in peccato sovit me mater mea.* Describit heic David, qualis fuerit tūm in formatione, tūm in ipsa conceptione, & de utroque dicit se peccato contaminatum fuisse, ex quo ita argumentamur :

Q. in utero matris immundus est, ille habet connatam corruptionem.

Atque O. Homo jana in utero matris immundus. E.  
Hic verò varias & monstrosas moliuntur exceptiones, ut nervum argumenti infringant, Catechism. Racov. ita l. c. p. 286. Allhier soll man erwegen/ daß David nicht von allen Menschen rede / sondern nur von Ihm selber. Und diß nicht schlecht / sondern angesehen seinen Fall / und redet diß auf solche Weise / wie man beydemselben David liest: Die Gottlosen haben sich verkehret von der Mutter an/ sie haben geirret von Mutterleibe an / die da Lügen reden/derohalben wird auch aus diesem Ort die Erb-Sünde nicht bewiesen. Sed respondemus (1) Dabimus hoc Davidem hic loqui de seipso, unde verò Sociniani probabunt consequentiam, quam inde necunt? Certè quod hic David de se dicit, illud verissimè de toto genere humano prædicatur Job. XIV, 4. Neque ullam probabilem saltem dare poterunt causam, cur David deterioris fuerit conditionis præ reliquis hominibus. (2) Nos insistimus literæ, dum nec loci evidētia, nec fidei analogia recedendi necessitatem nobis imponunt. Neque insuper probationes Adversariorum tanti momenti sunt, ut nos à literali sensu abducant. Ut enim locorum v. g. Ps. LVII. Es. XLVIII. & aliorum, quæ adducere solent prolixum omit-

omittamus examen, dicimus, pessimè ex illis fieri judicium de loco  
præsenti, est enim elenchus particularium; Nostræ favet senten-  
tia, quod confessorem agat delictorum, quomodo verò hoc cum  
Hyperbole Sociniana consistere possit, videant ipsimet Adver-  
sarii.

III. *Joh. III. v. 5.* *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu,*  
*non poterit intrare in regnum celorum.* Argumentamur itaque

Q. Generatio excludit hominem à regno celorum, illa est  
originaliter immunda.

Atq. Generatio carnalis v. 6. excludit hominem à regno  
celorum. E.

Majoris consequentiam pobamus, quia nulla alia datur ratio, cur  
homo separetur à Deo, quām ipsum peccatum: Aut ergò cum  
Calvinianis ad Absolutum Decretum configiendum, aut alia dan-  
da est Causa; quamdiu autem istam non indicaverint, Conclusio  
nostra firmo stat tali Adde versum 6. Ubi thesis nostra totidem  
verbis: *quicquid ex carne natum est, caro est.*

IV. Locum *Rom. V. 12. 13. 14.* *Per unum hominem peccatum*  
*in mundum introiit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines*  
*mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt.* Certum est Apostolum  
agere de omnibus, carnaliter propagatis & morti obnoxiiis. Tale  
ergò inde formamus argumentum.

In quos cunque cadit poena peccati, s. mors, in illos etiam ca-  
dit ipsum peccatum,

Atque in infantes cadit poena peccati. E.

Hic non actuale s. actu secundo voluntarium (in similitudine præ-  
varicationis Adam. vid. v. 14.) peccatum locum habet. Ergò præ-  
ter illud concedendum aliud, quod Originale dicitur. Major præ-  
terquam quod est ipsius Apostoli v. 12. 13. & 14. pro fundamento ha-  
bet ipsam Dei justitiam, quæ non infligit poenas, nisi de culpa con-  
stet: Minor fundata est in ipsa experientia. Constatit inde rectè  
magno Chemnitio in L. C. art. de peccato orig. c. 3. assertum: *Pro-*  
*prius locus doctrinæ de peccato originis est in quinto capite ad Romanos*  
*ubi Apostolus inter alia ita scribit: Per unum hominem &c.* Unde idem  
Chemnitius inter testimonia probantia peccatum originis *hunc*  
*locum in acie collocavit: sed & notavit, quod, prout ceteroquin uni-*  
*versale, tales locos, qui sedes sunt doctrinalis articuli præ ceteris dilate-*

*vari & depravari: ita præsens locus quoque tale quid sit expertus,*  
ut tamen error Pelagii, ejusdemque in hoc loco *τρεβλότης*, quā  
interpretatus est: *Peccatum per Adamum in Mundum intrasse non pro-*  
*pagatione & carnali nativitate: sed tantum imitatione, quatonus reliqui*  
*homines Adamum in peccato imitarentur, penitus ex ipsis verbis & illa-*  
*tionibus Apostoli h. l. confutetur.*

§. 3. Hacenus argumenta, quibus Thesis nostra firma-  
ri potuit, adduximus. Ordo jam exigit, ut Examen instituamus  
Argumentorum Adversariorum. Videbimus ergo, quid habeant  
roboris. Opponunt (1) Matth. XIX. 14. Infantibus adscribi re-  
gnum celorum. Resp. Consequentia nulla est. Quod si enim  
hæc ratio concludendi, procederet, aut adulti à peccatis sunt im-  
munes, aut à regno celorum excludendi. Primum est contra  
Scripturam vid. 1. Joh. I, 8. Postremum absurdum. (2) Psal. CVI,  
38. Infantes dici innocentes. Resp. Totus contextus Psalmi clare  
monstrat, hic non agi de aliqua innocentia interna, sed saltem ex-  
terna & Politica. (3) Voluntatem necessariam esse, ut quid ha-  
beat rationem peccati. Resp. Unum heic cornu inflant cum Pon-  
tificiis. Quod si verò hic de peccato in sensu politico & civili fer-  
mo esset, non multum dissidii inter nos esset. Sed cum heic loci  
de peccato in sensu Theologico accepto agatur, negamus in to-  
tum. Quid enim de peccatis infirmitatis, ignorantiae sentien-  
dum? Videatur expressa Jehovæ lex, Num. XV, 27. (4) Cupi-  
ditas illa non conjunctam habet hominis culpam. Resp. Et hic  
rationes probandi deficiunt. Contrarium probat Analogia fi-  
dei. Prout benedicto Adamo omnes benedicti sunt posteri: sic  
lapsi illo, omnes sunt lapsi, non enim ut persona privata, sed ut  
publica considerandus est Adamus, quipro tota posteritate acce-  
perat dona. Reliqua vide apud Thunim. de Impietate Photin. Artic.  
de Peccato Orig. p. 277. seqq. Meisner. Antropolog. Sacra. Decad.  
1. Disp. IV, qu. 3.

### *Thef. II.*

Rectè magnus Chemnit. in LL.CC. artic; de P.

O. c. 4. Duplex est causa efficiens Peccati O-  
riginis. 1. Quæ remota dici potest, primiscl.  
paren-

parentes, qui lapsu suo meriti sunt toti posteritati pravitatem Originalem, reatum & quicquid inde secutum est malorum. & Propinqua causa est, quod in carne singulorum, parentum qui generant, habitat peccatum, & illud contagio quodam transniunt in liberos ipsa propagatione carnali.

§. 1. Hæc Thesis à priori maximè est distinguenda. Aliud enim est, querere, An homo sit corruptus, & aliud, unde corruptio illa originem habeat? Prius in praecedenti Thesi planum dedimus, de posteriori jam nobis Controversia. Sociniani prout negant ejus existentiam, ita etiam lapsum Adamiticum admittere nolunt Causam. Sic enim *Catechism.* Racov. I. c. p. 285. Der Fall Adams/ weil es nur ein einiger gewesen/hat solche Kraft nicht haben können/ daß er das/so Adam angeböhren war/hätten verderben sollen / und vielweniger aller seiner Nachkommen. Notamus deinde Pelagianos, qui non per generationem, sed per imitationem peccatum in posteros transire docebant. vid. *Micra* l. 2. Syntagma Hist. Eccl. p. 428.

§. 2. His opponimus (I) *Locum Rom. V, 12.* Ubi Apostolus ita: *Per unum hominem peccatum in mundum introiit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt.*

(II) *Ephes. II, 3.* Eramus omnes natura filii iræ, quod si autem Qüæ certè non ē. Quæ hic excipiunt circa vocabulum Qüæ, non merentur refutationem. Confer illa, quæ in Thesi praeced. adduximus.

§. 3. Opponunt verò repugnare rationi, cum unus aëlus non possit introducere habitum, & quidem in universam hominum naturam vid. *Catechism.* Racov. I c p. 275. Resp. Hoc ergo est, candens ferrum non forcipe, sed digitis contrectare; non omnia pro absurdo habenda, quæ rationi nostræ absurdâ apparent; Ancillari hic debebat ratio, non dominari; Nimis enim intempestivum est decempedâ rationis omnia emetiri velle. Et sic dimittere possemus adversarios ostendo fundamento arenoso. Attamen ne hic de victoria glorientur, respondemus, falsum omnino esse principium Socinia-

num: quis nescit, unam actionem omnimodam inferre cæcitatem? Unum actum sœpius morbum perpetuum introducere etiam Medici norunt. Consule de hoc principio *Keslerum in Metaphys. Photin.* Parte Spec. Sect. 3. Princip. 2. & 3. Opp. (2) Deum nunquam decrevisse hanc pœnam, siquidem obstat ejus Sanctitas, ob quam omne peccatum odit, abominatur. Sed & hic responsio in promptu est: Constat duplex potissimum in Deo dari decretum, effectivum aliud, aliud permissivum: concedimus argumentum Socinianum de priori decreti genere: sed non valet consequentia à negatione unius ad negationem alterius, cum decretum permissivum etiam ad actiones peccaminosas sepe extendat, neque verò sanctitati Dei ex hoc quicquam decedit, siquidem non permissio, sed ipse influxus realis causalitatem infert. Opp. (3) Inclinatio illa ad peccandum ex peccatis actualibus continuo repetitis oritur. Resp. argumentantur Adversarii à dicto secundum quid ad dictum simpliciter. Non negamus peccata actualia haut raro pronitatem ad peccandum introducere in naturam; sed hoc probandum Adversarii fuisset, omnem omnino inclinationem ad malum, quæcunq; etiam illa sit, ex sœpius reiteratis peccatis actualibus oriri. Hoc si solidè probaverint, tūm demum argumentis nostris ademerint vires. Haec tenus Socinianorum vidimus strophas, restat igitur, ut breviter lustremus, quomodo & Pelagiani suam exornent Helenam. Objiciunt (1) Parentibus remitti peccata, E. non posse per carnalem generationem transire in posteros. Resp. Remissionem illam non respicere culpā, sed ipsum reatum etiam tyrones norunt. Limitamus ergo Majorem hunc in modum: Quicquid absolute & simpliciter tollitur, illud non potest per carnalem generationem propagari; Sed sic falsa erit subsumptio. Quamdiu autem illam non probaverint, nihil periculi erit de Orthodoxya. Obj. (2) Accidentia non migrare è Subjecto in Subjectum. Resp. Concedimus hoc: nam subjectum Inhæsionis est anima, quæ traducitur à parentibus mediante benedictione divinâ Gen. 1, Crescite & multiplicamini; Non ignoro hic etiam magni nominis Theologos ad Augustini illud ἐπέχειν inclinare, quos inter Chemnitium refero, qui P. 1 LL. CC. p. 239. satis circumspectè loquitur. Attamen si certi quicquam determinandum, malumus traducem admittere, et si modum specialem ignoramus,

Theſ.

### Thef. III.

Peccata quædam parentum sœpe peculiari  
quâdam inclinatione contagiosâ transeunt  
in liberos.

§. 1. Observandum hie loci venit tum *Subiectum*, tum *Prædicatum*. Ratione *Subiecti* sciendum non de quovis vitio hic disputari: sed saltem habituali, neq; tamen ipsum habitum acquisitum, sed seimen sive propensionem in liberos transire statuimus. Ratione *Prædicati* observandum non de planè ordinario modo hic sermonem esse, sed sœcius fieri affirmamus.

§. 2. Negant hoc Pontificii, Bellarm. l. 4. de Statu Peccati c. 18. ita expressè, *quod attinet culpam, extra controversiam esse debet, unum tantum, hoc est, primum primi parentis peccatum ad posteros carnali generatione transmitti*. Ita ille. Pro confirmanda autem Thesis nostra facit expressa ipsaque praxi judiciorum divinorum extraordinariorum in l. literis confirmata lex Domini Exod. XX. 5. Ubi minatur Deus se visitaturum iniquitatem Patrum in filios in tertiam & quartam generationem. Jam verò justitiae Dei reclamat poenas infligere posteris de parentum peccatis nullo modo participantibus. Facit & pro nostra sententia ipsa experientia, quæ docet sœpiissimè inclinare liberos in vitia parentum; qui fieret autem hoc, nisi ipsorum vitiorum semina ad minimum propagarentur?

### Thef. IV.

Peccatum Originale in omnes omnino homines, quotquot naturaliter generatur, transit.

§. 1. Excipimus ergo unicè Christum præeunte nobis Scripturā, Hebr. IV. 15. Reliqui sine discrimine peccato Originis sunt contaminati. Hanc verò universalitatem labefactant alicubi tum Pontificii, tum Calviniani, tum & alii. De Pontificiis notum est, quanta vehementia disceptaverint inter se Dominicanī &

B

Fran-

Franciscanijam ab anno M. CCC. LXX. ad M. D. VII. *An Beatae  
Mariae mater Christi in peccato fuerit concepta, nec ne;* Hi peccatricem esse affirmabant, illi contra negabant, cum quibus etiam facit Concil. Trident. Seß. V. Append: Declarat tamen hæc ipsa sancta Synodus non esse sue intentionis comprehendere in hoc decreto, ubi de peccato Orig. agitur, Beatam & immaculatam virginem Mariam Dei genitricem, sed observandas esse constitutiones felicis recordationis Sixti Papæ IV. sub pœnis in iis constitutionibus contentis, quas innovat. Bellarm. l. 4. de A. G. cap. v. Costerus l. 5. Instit. ad Mariam, & reliqui, Salazar: &c. Calviniani à posteriori eppugnant hanc latitudinem, dum Sanctorum liberos ab utero matris sanctos esse disputant. Sic enim Calvinus l. 4. Instit. c. 16, num. 24, Infantes hereditario jure secundum promissionis formulam jam à matris utero in fodere continentur. Petr. Martyr: in LL. CC. 8. 2. Volum. I. Controv. fol. 256. Zorlinus Volum: I Oper. Theolog: fol. 6. o.

§. 2. Thesin nostram probat Scriptura Rom: III, 23. Omnes peccaverunt, & destituantur gloria Dei Pro enucleanda, hic sententia Apostolica notamus subjecti universalitatem *τάναγρον*, Omnes peccarunt. Non potest hic aliqua Synechdochica fingi oratio, et si enim vocabulum, omnes, sive ipsius idem est, ac multi; attamen de praesenti loco adhuc in controversia est. Probanda erat exceptio Synechdochica, non supponenda. Explendida merito exceptio Jesuita cujusdam venit, qui, ne planè hic obmutescat, hancce querit rimam; non posse hoc axiome generali comprehendere Dei genitricem, alioquin necesse fuisse, ut ipsa conceptis verbis nominaretur singulari aliquo loco. Egregium sane argumentum! Probet Jesuita, si nomen acuti Disputatoris posthac retinere velit, se suosque peccatoribus esse annumerandos; aut cadaverosum mittat argumentum. Job XIV, 4. *Quis potest dare mundum de immundo conceptum semine?* Quod si hic respiciimus versum præcedentem l. 2. 3. in collatione cum nostro quarto, res erit manifesta Jobum omnino de peccato Originali agere: Consequentia, quæ hinc formanda esset, claret. Confer quæ supra ex Joh. II, Ephes II, adduximus.

§. 3. Declarata sic orthodoxya non abs re erit scrutari argumenta Adversariorum; Ut vero ordine procedamus, in duas potissimum classes totum negotium distribuemus. In priori examina

minabimus argumenta Pontificiorum , reservaturi ea , quæ pro  
Calvinianis facere videntur , ad posteriorem classem . *Bellarminus*  
probaturus hoc suum dogma , fundamenta quærit in locis satis no-  
tis Cantic II , 1. cap. IV , 7. 12. Resp. Textus hic non favet Adversa-  
riis , de Ecclesia agit , non de Maria ; Committit ergo Jesuita fal-  
laciā Interpretationis . Sed ut porrò cum Adversario agamus ,  
concedemus , textum præsentem agere de Maria , certe tamen  
non tangit statum controversiæ , illa enim Sanctitas non est inhae-  
siva , sed imputativa . Ponamus ( 2. ) Mariam jam tum in utero  
matris sanctificatam esse . Dabimus ( 3. ) Mariam , cum jam ma-  
ter electa esset Christi , totam , quanta quanta etiam fuerit , à Spi-  
ritu Sancto purificatam esse . Nimis tamen longè aberrat Antago-  
nista à Statu controversiæ . Namque ( a ) Sanctificatio illa non  
statim infert omnem omnino immunitatē à peccato , idem illud  
prædicatur de aliis in Scriptura , quos tamen non admittet Adver-  
sarius . ( b ) Proprio se jugulat gladio , si enim purgata est à pecca-  
to , certè habuit peccatum , cui boni alias fuisset purgatio ? Sed per-  
git objiciendo locum Rom. V , 18.19. 1. Cor. XV , 45. Resp. Con-  
cedimus Apostolum collationem instituere inter Adamum pri-  
mum & secundum , sed in hoc reicardo vertitur ; an hoc sit illud  
tertium Comparationis , quod Bellarminus producit ? novit o-  
mne Simile etiam suo modo esse dissimile e g Pontifex Rom. quo-  
tidiè inter illos consertur cum Apostolo Petro , vix tamen credide-  
rim Bellarminū admissurū fuisse . Si quis talem institueret compa-  
rationem , Petrus abnegavit Christum , objur gavit Matth. XVI , 4.  
E. & Pontifex Romanus , quæ cōparatio nostro quidem judicio  
meliùs procedit , quām Bellarmini ex his adductis locis . Et quid  
multis , possumus concedere totum Argumentum intelligendo  
sanctitatem imputativam . Tantū de priori classe . Calviniani  
ne sine ratione & fundamento pugnare videantur , urgent maximè  
Formulam foederis , quod Deus sanciverat cum Abrahamo quō de-  
legitur Gen XVII . Ero Deus seminu tui . Sed quantas orthodoxiæ  
struant insidias , patebit , cum locum illum accuratius evolveri-  
mus : Vera quidem est promissio , ero Deus seminis tui , sed num-  
ne his verbis integrum absolvitur foedus ? Neutiquam . Junge-  
mus verba sequentia vers . IX , 10.11.12. 13. & 14. fucumque videbi-  
mus . Sic autem textus ; Et tu custodies pædum meum , omne Mas-  
culinum

culinum circumcidetur ex vobis &c. Committunt ergò (1) Fallaciam divisionis, dum foedus illud mutilatè inferunt. (2) Constat ex cohaerentia textus promissionem veram esse de filiis Abrahæ non in sensu diviso, sed in sensu composito, h. e. quatenus conditiones foederis observant. Obj. 2. i. Cor. VII, 14. Ubi sandi pronunciantur liberi. Sed dextrè collato textu in sumum abit, quicquid objiciunt isti. Ut silentio premam, Committi fallaciam ēτερογένεως, dum probant, quæ minimè in quæstionem vocantur. Eò tota nostra tendit Disputatio, an ab utero matris sint sancti? de quo ne literam quidem Apostolus. Nullus præterea Calvinianorum solidè probabit ex textu, Paulum agere de illa sanctitate, quæ in oculis Dei justissimi nos spiritualiter mundos sistit. Conciliet verba præcedentia cum Glossa Calviniana, & virum se præstiterit. Vide de hoc argumento fusius Exellentiss. Dn. Præsidem in Assertione Orthodoxiæ posteriori Artic. VI, Conclus. 4. Contra Calvinianos Obj. 3. Sanctos parentes, quales omnes vocati & baptizati sunt, generant Sanctos liberos. Respons. Concedimus, si de Sanctitate externâ, ratione occasionis & aditus propioris ad Sacramenta ceteraque bona ecclesiastica disputatur. Negamus, si de internâ e.c. imputativa sermo est. Obj. 4. Act: II, 39. Vobis est promissio & liberis vestris. Respons. Promissio illa non est absoluta, sed restricta ad media, quod si ergò ista negliguntur, non obtinebunt promissionis fructum. Vide Danhauer, in Hodomaria Spiritus Calvin. Phantasm. X, p 3240.

### Thef. V.

Subjectum inhæsionis non est sola anima, nec solùm & præcipue corpus; sed corpus & anima simul, imò hæc primariò.

S. i. Non jam disputabimus, anne subjectum præcipuum & principale sit intellectus & voluntas, sed de solo subjecto communi hic controvertitur. Ethoc non tantum corpus, sed & animam esse dicimus. Hoe tamen respectu, ut anima sit primarium, corpus verò secundarium subjectum; prout enim corpus non

non informat animam, sed informatur ab anima, ita corpus primarium subjectum esse nequit. Adversarios vero hic habemus Pontificios. *Bellar. lib. V. de A. Gr. cap. 15.* s. sciendum secundò istud vitium in carne potissimum residere, h. e. in parte hominis inferiore, quæ sensualitas dicitur.

§. 2. Pro Orthodoxia militat Scriptura, quæ peccatum omnibus omnino hominum partibus tribuit, sic intellectui adscribit coecitatem *Ephes. IV, 28.* Cordi perversitatem, *Gen. VI,* *Jerem. XVI, 9.* prout pulcherrimo ordine singula notat *Christianus Matthias System. Theolog. Minori pag. 114.* Ex quibus sic concludimus:

Defectus in operando praesupponit defectum in Causa.

Sed, in Facultatibus anima datur defectus in operando, E. Corpus vero tantum pro subiecto secundario habendum esse latius eleganter probat Apostolus Rom. VI, 13. ubi ita. Μηδὲ πατέσθε τὰ μέλη ὑμῶν ὅπλα ἀδίκιος τῆς ἀφαγίας h. e. neque fistite membra vestra arma injustitiae peccato, usus eleganti Metaphorâ qua arma sumuntur pro instrumento, quibus impii utuntur ad injustitiam. Argumentum ex dicto Apostolico tale erit:

Q. Alteri inservit ad actiones peccaminosas, illud non est primarium, sed secundarium subjectum.

At Corpus inservit voluntati ad actiones peccaminosas.

Ergo

Confer *Coccejum* in hunc locum pag. 326. 327.

§. 3. Argumentum palmarium, quod adversarii urgente solent, est ex Epistola Rom. VII, 18. ubi Apostolus videtur distinctionem facere inter *corpus & mentem*; sed dextrè insipienti texum constabit Apostoli nequaquam carnem ab anima distinguere. Totus contextus evincit comparationem instituere Apostolum inter hominem respectu illius quod in illo uno homine ceteroqui fideli (qualis erat Paulus renatus) est regenitum & quod in eodem irregenitum: illud per Spiritum, hoc per carnem indicat. Quod si vero carnem Physicè accipiatur, videat adversarius, quid responsurus sit ad vers. præced. s. cum essemus in carne, passiones peccatorum per legem operabantur in membris nostris [Græc. quæ per legem existebant] ergo Paulus jam conversus erat extra

carnem? Obj. 2. Si anima esset subjectum peccati Orig. pari ratione mortalis esset ac corpus. Resp. Consequentia nulla est. Mors enim respicit totum suppositum, & nihil aliud infert, quam solutionem animæ à corpore, minimè verò partium corruptionem.

### Theſ. VI.

Peccatum Originis nequaquam consistit in nuda privatione, sed omnino aliquid Positivi includit.

§. 1. Varias de hac Theſi jam tempore Augustini fuisse sententias, refert Chemnit. P. 1. LL. CC. pag. 225. 226. Augustinus definit illud per concupiscentiam, *Anhelitus*, cuius ætas incidit in seculum XII, per parentiam justitiae Originalis debitæ in esse. Bonaventura tandem has duas combiſavit. Quam etiamnum retinet Aug. Conf. Artic. I I. Ubi docet, quod omnes homines post lapsum, nascantur SINE metu, SINE fiduciâ erga Deum, & CUM pravâ concupiscentia. Ne verò hîc cuidam ansa detur aliena nobis affingendi, ac si inanis tantum *Nequaquam* esset, in re autem nulla subefset disconvenientia, paucis explicablemus mentem nostram. Nequaquam animus nobis est, vocabulum POSITIVI secundum rigorem Metaphysicum peccato tribuere. Protestantur de hoc solennissimè, quotquot Theologorum hactenus fermentum Syncretisticum nondum degustarunt. Causam nomine omnium dicat Meisnerus in quæstionibus vexat: qu. 4. Theſ. 32. Positivi vocem nos in alio sensu, quam Metaphysico usurpare, ultrò fatemur Quando ergò Positivum dicimus, sumitnr vocabulum in latitudine aliquâ, idque ob constantem adhærentiam & profundissimam naturæ corruptionem; quia enim Pontificii disputant, peccatum esse tantum meram privationem iustitiae Originalis (quam donum supernaturale vocant) ipsamque naturam post lapsum mansisse talem, qualis ab initio fuit condita; hinc factum, ut Theologi ad errorem fortius oppugnandum termino Positivi uterentur. Bellarm. I. V, de A. Gr.

A. Gr. c. 15. scribit quosdam Catholicos statuere peccatum O. non esse nudam privationem; sed inesse per pravam concupiscentiam, adeoque qualitatem morbidam in animâ perpetuo desiderio prava desideria excitantem, ipse verò in contrariam abit sententiam.

S. 2. Oppónimus huic erroneæ sententiæ Scripturam, quæ de hoc malo & σερηνώς & θελικώς loquitur. Θελικώς loquitur de eâ Apostolus Rom. VIII, 7. τὸ φρόνημα ἡγεμόνος, ἔχθρος εἰς θεόν. Sensus carnis inimicitia est in Deum. Jerem. VII, 9. Cor humanum dicitur fraudulentum. Rom. VII, 20. Vocatur malum adjacens, inhabitans &c. σερηνώς loquitur Apostolus Rom. III, 23. c. VII, v. 18. ubi per ἀδυνατίαν describitur. Quid quod & fructus ( peccata actualia ) de radice satis superque testentur. Præente ergò Scripturâ recte & Theologi illud positivum dicunt.

S. 3. Rationes, quas vulgo opponunt, non ad eò operosum requirunt examen, maxima enim pars illarum laborat ignorence Elenchi, v. g. (1) Peccatum dicitur ἀνομία, adeoque non potest esse θελικόν. (2.) Deus erit causa Peccati, cum sit Causa omnis Entis Positivi. (3.) Omne Ens positivum est bonum, (4.) Habitus vitiosi non transmittuntur in posteros &c. Resp. ad Primum, Peccatum dici ἀνομία liberali manu concedimus. Ast aberrant hi boni Disputatores à scopo, quæstio enim est, an tantum sit privatio; hoc verò ex formalí significatione vocis ἀνομίας evinci non poterit. Αἴσου enim non tantum est, quod recedit à lege omitendo bona, sed etiam committendo mala. Perpetrāt ergò ab ἀνομίᾳ concluditur ad puram privationem. Ad Secundum & Tertium respondemus ex s. i. Valere consequentiam de Positivo in rigore Metaphysico sumto. Ad quartum, verum quidem esse de vitiis personalibus ( idque tantum secundum habitum ipsum, non verò secundum sermen ) At personalium & speciei nou una eademque ratio est, ut supra ostendimus. Quæ porro objiciuntur, eadēm facilitate destruuntur; legitimè observato statu.

Theſ.

Theſ. VII.

Peccatum Originis neutiquam eſt ipsa hominis ſubſtantia,

§. 1. Ne ambiguitas vocabulorum aliquam pariat diſcultatem, quæ h̄ic circa vocem Subſtantia occurruunt, obſervamus. Conſtat autem non ſemper uno eodemque modo adh̄beri, ienim in generali quādam ſignificatione accipi certum eſt, & nihil aliud cum ſignificat, quām iſum ἐνοψιαν rei, abſurdum autem nimis eſet, ſi quis exinde inferre vellet, E. eſt Subſtantia, cūm ſatis nouum non tantum de Subſtantia ſed & rečiſſimē de Accidentibus prædicari; & in h̄ærere enim præſupponit eſſe. Altera verò ſignificatio ſtrictior eſt, & opponitur Accidenti, inque h̄ac vocis acceptione negamus de P. O. 2. Ex Scholis Metaphysicorum conſtat, aliam eſte conſiderationem ſubjecti in ſenu composito, aliam in ſenu diuiſo. Sic hominis conſideratio in ſenu composito eſt conſiderare hominem ut hominem, in ſenu diuiſo conſiderare hominem ut doctum, eadem ratio h̄ic eſt, non quæritur anne dici poſſit Peccatum Originis eſte naturam vel eſſentiam hominis in ſenu diuiſo h. e. peccatoris? peccatum enim illud iſum eſt, quod dat eſſe peccatori: ſed de homine in ſenu composito, quatenus homine, quod negamus, qui pro nudo accidente agnoscimus, attamen fixo, quod per totum vitæ ſpatium homini tenacissimè in h̄aret, ejusque naturam adeò corrumpit, ut ex propriis viribus boni quicquam haut cogitare, nedum perfidere valeat, & nihilo minus eſſentia humana à peccato probè diſtinguenda, nequaquam tamen diuellenda eſt.

§. 2. Errant h̄ic Flaciani, qui peccatum non pro Accidente, ſed pro iſpa hominis ſubſtantia venditant; De ipſo Flacio ma- lo h̄ic proprium ſuspendere judicium, & aliis virgulam hanc cenſoriā relinquare, quām temerè quicquam certi determinare, cum vix fidem mereatur, adeò insignem Theologum monſtroſam hanc foviſſe ſententiam. Hoc tamen certum eſt, Flacium ab hoc loquendi genere debuisse potius abſtinere, aut non adeò mordicitus defendere. Nequaquam tamen de ejus affeclis par esto

estò judicium, hi enim postea longè crassius senserunt in hoc controvergia puncto. Quibus etiam hic potissimum dicam scribimus.

§. 3. Firmant Orthodoxiam Scripturæ dicta, quæ de inhærentia peccati satis superque testantur. Tale est, quod habetur Hebr. XII. 1, ubi jubemur deponere *peccatum tenaciter inhærens* ( græc: circumstans ) ubi satis manifestè Apostolus distinguit peccatum quod inhæret à subjecto, cui inhæret. Nisi ergò veniamus naturam accidentium penitus everttere, necessariò hic distinguenda essentia peccati ab essentia hominis, argumentum erit tale.

Q. Subjectum aliquod obsidet, non est illud ipsum subjectum, quod obsidetur.

Atq. Peccatum hominem obsidet. Ergo

Majoris connexionem non puto à quoquam in dubium vocari posse, nisi contra rationem velit militare. Minor est Apostoli. Ergo. Frivola verò exceptio est, quām hic adversarii moluntur. Paulum agere de renatis, ac si peccatum in renatis non esset ejusdem generis cum peccato in nondum renatis. Probent adversarii, & monstrant fundamentum distinctionis, si velint θέσην suam φράσαι. Alter locus, quem hīc in pulverem producimus, est ille satis vulgaris Rom. VII, 18, ubi Apostolus testatur *in se non habere bonum*. Hic de inhærentia pari felicitate possemus necesse argumentum, nisi evidēntia textus satis clarè idipsum monstraret; Hoc tamen non sicco, quod ajunt, pede prætereundum, quod Apostolus in subsequenti vers. 20, expressam faciat distinctionem peccati à seipso, quando dicit: *Porrò si quod non volo, hoc facio, non jam ego operor illud, sed inhabitans in me peccatum.* Ubi expressè Apostolus operationes malas non sibi s. substantias suæ adscribit, sed unice peccato inhærenti. Quæ præterea hoc loco pro stabilienda sententia necesse solent argumenta ex loco de creatione, Resurrectione, Imagine Dei & aliis hic attingere nolumus, Namque videri poterunt de his *Gerhardus Tom. 2. LL. CC. de P. O. p. 619. Meisn. Decad: 1. Anthropolog: Sacrae Disp: VI. qv. 1. Jac. Martini Partitronib. Theol, Disp. X. th. 28. seqq.*

C

§. 4. Ar-

§. 4. Argumenta, quibus utuntur, sunt sequentia. (I)  
Rom. VII, 17. Matth. XIIIX, 19. Ex his ita concludunt.

Ex quo pro veniunt peccata actualia, illud est peccatum.

Atq. Ex corde hominis proveniunt peccata actualia. Ergo.

Resp. Cor humanum dicitur fons malorum non in sensu composito: sed diviso. Quod si enim de corde in sensu composito valeat, videant, ne Deum ipsum peccatorū actualiū Causam constituant. Causa enim causæ est etiā causa causati. (II) Gen. VIII, 22, dicitur, *figmentum cordis humani esse malum*. Resp. committitur fallacia interpretationis. Per figmentum intelliguntur, quæ à corde singuntur, & illa dicit esse mala, quid verò ad ipsam cordis substantiam, hoc facit, quod adversarii illud pro peccati substantia exclamat? Certè illas cogitationes non ex se, sed ex inhærente corruptione habet. (III) Per quod homo est, quod est, illud est forma, essentia ejus. Atq. Per peccatum O. homo peccator est, quod est. Ergo. Resp. Peccant hic adversarii in Regulam communissimam: *Qualem terminus est in una propositione, talu etiam sit in altera, necessum est.* Si enim hoc observassent, terminum homo in Majore non absolute posuissent, & in Minore Restrictivè. Sunt e. 4. termini in Syllog. Deinde etiam sic debuissent Conclusionem inferre; Ergo Peccatum est hominis peccatoris substantia: *Quod quam bellè tangat Thesis, vid. suprà §. I. Thesos.*

### Thes. VIII.

Post regenerationem prava concupiscentia habitualiter inhærens, ut & primi ejus motus ex se & sua natura vere sunt peccata.

§. 1. Impugnant Thesis præter alios Pontifici, per baptismum Peccatum O. penitus extirpari somniantes, sic Concil. Trid. Ses. V. Hanc concupiscentiam, quam aliquando apostolus peccatum appellat sancta Synodus declarat. Ecclesiam Catholicam nunquam intellexisse peccatum appellari, quod vere & propriè in renatus peccatum sit, sed quia ex peccato est, & ad peccatum inclinat. Si quis autem contrarium senserit, anathema sit. Bellarm: I. V. de A. Gr. Nec hoc frustra, sed, ut fraudem manifestat Chemnit. P. I. Exam. Conc. Trid.

P. 94.

p. 94. Quia indè pendet meritum , perfectio<sup>1</sup>, justitia & superero-  
gatio bonorum operum coram judicio Dei.

§. 2. Primaria hujus doctrinæ sedes habetur in Epistola ad Rom. c. VI, VII, & VIII, quorum prolixam enucleationem qui desiderat, adeat Gerhardum, Meisnerum & alios. Nos hâc vice unum saltem atque alterum urgebimus versiculum (1) ex cap. VI, producimus vers. 12. Ne igitur regnet peccatum in mortali vestro corpore , ut obediatis ei in concupiscentiis illius corporis. Pugnamus heic pro literâ, donec adversarii Metonymiæ suæ, quam textui affingunt, solida demonstraverunt fundamenta. Neque verò Bell, apud nos tanta pollet autoritate (& si penes suos aliquando satis magna) ut quicquid dixerit pro autoritate, fidei Articulum constituat, sed rationibus opus est, iisque firmissimis, si velit, ut verbis suis fides habeatur. (2) Rom. VII, 14. usque ad finem, ubi de seipso tanquam renato scribit, *Ego carnalus sum, ego, quod odi, facio, scio in carne mea nihil boni habitare.* (3) addimus locum i. Joh. I, 8. *Si dixerimus quod peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est.* Ubi notamus subjectum, quo de loquatur, hoc non sunt homines irregeniti, sed omnino regeniti, quod evincit illud, quod seipsum etiam includat. Peccatum verò, quod inhärere dicitur, non actuale est, sed omnino originale, quod probatum datur exinde, quia generaliter pronunciat. Adde quod vers. 4. 8. & 9. cap. III, expressam faciat distinctionem, opponendo verbum *habere* verbo *facere*.

§. 3. Hic verò mirum quam operosi sint, Adversarii ut solidum ponant fundatum Theseos suæ ruinam minantib; sed conatu planè frustraneo, Antequam verò ad rem ipsam pervenio, observandum 1. A plenaria remissione non posse concludi ad plenariam renovationem. 2. Peccata in hâc vitâ tolli non quoad omnem culpam, sed quoad reatum. A sublato verò reatu ad sublatam culpam non valere consequentiam. Hæc ut majorem accipiunt lucem, rem exemplo illustrabimus, & quidem primum Axioma satis clarum erit, si consideremus universalem Christi satisfactionem, per hanc omnino verè totius mundi peccata dicuntur sublata, omnium verò risui merito exponendus esset, qui concluderet, Ergo nulla dantur peccata. Secundum Axioma itidem sufficientem habebit lucem, ex sequenti; abnegatio Pe-

tri manet abnegatio , et si post seriam pœnitentiam reatus sublatus fit. Videamus ergo cornua Adversariorum , Opponunt ex I. Cor. VI. II. Ab*lui* est*s*, sanctificati & justificati. Resp. Constat jam, quām vitiosē à perfectā remissione ad perfectam renovationem concludant Antagonistæ , Apostolus agit de remissione , non renovatione. Concesso verò de renovatione illum hic loqui , nihil tamen aliud evincitur , quām quod peccata sublata sint secundum reatum & pro ratione sanctificationis inchoatae mortificata. Proben t Adversarii , etiam ipsam radicem & omnem culpam tolli. Ab hoc parūm dissidet , quod objiciunt ex Hebr: cap. I, 3. cap. IX, 28. Rom: VIII, 1. Resp. (a) Committitur hic fallacia alienæ quæstionis , de Sacrificio enim Christi planè non disquiritur , sed renovatione: Eadem responsio quadrat ad locum alterum ; in ultimo argumentantur à sublatione reatus ad sublationem omnimodā culpæ , quod quām benè procedat , suprà ostendimus. Ast verò instant , sublato formalī tollitur res ipsa. Resp. Fallit hic Minor , damnabilitas enim non est de ratione formalī peccati absolute considerati. Ipsum formale est *avōpīcī*. Tantum ! Illi , qui hactenus supereditavit vires sit Laus , Honor & Gloria in Secula .



Ad

*Ad Praestantissimum*  
**DN. RESPONDENTEM,**  
Amicum jucundissimum.

**T**heſſalīæ gemino celebrantur fonte, bibentes  
Hic nigras, albas inficit alter oves.  
Sunt quoque sunt ſacris gemini discriminē  
fontes

Ater PECCATUM: qui bibit inde niger.  
Candidus alter adest, cœleſtis GRATIA, quisquis

Inde bibit, totus candidus inde cluit

Egreditur nitidis niveus grex flaminis undis  
De quo candidulo gaudia Pastor habet.

Atrum Theſſalīæ fontem, LUDKMANNE, no-  
tare

Confilium tibi, ſed cum ratione, fuit  
ADAMI de fonte venit grex ater: & albus,

Ni fontem noſcat criminis, eſſe nequit  
Ergo ſedet nigri contagia pandere fontis

Prae nive quō fiat candidus, ille niger.

Quis dubitet, quin qui nigri discriminā fontis  
Differis, alterius candida ſigna geras?

Deterit ætatis florem gens ſacra Vacunæ  
Fontis & atrati volvitur illa ſalo.

Te juvat invigilasse libris, te Theſſala temp̄  
Te nigri fontis nigra notare juvat.

C 3

Sit

Sit felix specimen! Cœlum feliciter ausa!  
Sic pergas pulchræ currere mentis iter!

*Honoris & Amori quod debuit*  
*L. M. Q.*

## Augustus Varenius.

ET doctus calamus, pariterq; Orchestra,  
docebit  
Publica, quæ tibi vis sit Genii in literis.  
Doctorum plausu sic quævis puncta me-  
reris.

Disponant Musæ digna brabéa Tibi.

*Honoris & Amoris Ergo sva-  
vissimo suo Consalino ita  
acclamare voluit*

M. HERMANNUS Becker/  
P. P. & P. J.

Cuncta patent vitiis, virtus jam plorat amarūm,  
Immugit Tragicis sordibus ipse Polus.

Hinc

Hinc jam' primævas, summo de ponte Cathedræ  
Proponis sordes, tempora justatenens.  
Tempora justa tenes, quia sordibus omnia plena,  
Si pia secla forent, Tu meliora dares.  
Gratulor ergo Tuis, magno conamine, cœptis,  
Ut benè succedant, mente favente precor.

M. Joachimus Ernestus Hellwigius,  
Scholæ Rostoch. ConRector.



*Abarbanel in comm. ad c. V. v. 18. Esai. fol. I. col. 3.  
ex Mass. Succ. cap. I.*

יצר הרע בתחילת רומה לחוט חשורה ולבסופה נעשה כעבותות העגלת:  
Concupiscentia mala ab initio similis est pilo; sed in fine funi quadrigae.

P Rincipiis obsta, serò medicina paratur:  
Ut sanet, noscat principium, Medicus.  
Jam quoque cura *Tibi*, tractas ab origine sordes  
Noscendi: studium noscitur inde *Tuum*.

*Præeximio atq. Autori hujus dissertationis eruditissimo,  
Amico ac Commensali suo honoratissimo animum  
signific: apponeb.*

M. Johannes Georgius Bindrim.

  
I Ngenio quantum valeas LUTKMANNE probasti,  
Et docet hic fœtus, fertilis ingenii.

Publi-

Publicitūs quem propōnis, fontemq; malorum  
Commonstras nobis sedulus ē Cathedrā.  
Dum crenā, dum voce doces, quām triste veneno  
Patiens prognatos inficiant miseros.  
Heu miseros! & adhuc Matri sub corde latentes,  
Attamen æternam commeruisse necem.  
Dogmata vera nimis tradis, thesibusq; retundis  
Hostes, qui fidei tela parata vibrant.  
Raucicrepo contra regerat quid fœdus Apella  
Gutture, tum rasi quid crocident Monachi.  
Flexilis & minuens hanc Syncretista rigorem  
Fermenti errorum dicitur esse reus.  
Quodq; sit hæcce lues Vitium, quod originis audit,  
Contra Pseudographos arte doces simili.  
Macte piis ausis donorum conferat augmen.  
Præmia & ampla Deus, laudem homines tribuent,  
Conferet & titulum meritis tibi turma Sophorum,  
Nomine pro parvo dignius attribuens.  
Theiologi dicent animo quoque corpore Paulum  
Numinis electum teretulisse Virum.  
Pergito sic Patriæ, Patri, Matrique secundæ  
Donaturus eris gaudia mille redux,  
Hu literatusimi Dni. Respondentis, Amici sinceri  
riſimi, & Consalini gratissimi honoribus  
applaudere voluerunt  
Excell. DN. M. HERMANNI Beckers/P. P.  
COMMENSALES.







Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de  
/rosdok/ppn740892169/phys\\_0030](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn740892169/phys_0030)

DFG



Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de  
/rosdok/ppn740892169/phys\\_0031](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn740892169/phys_0031)

DFG



Hinc jam' primævas, summo de ponte  
Proponis sordes, tempora justater  
Tempora justa tenes, quia sordibus om  
Si pia secla forent, Tu meliora dar  
Gratulor ergo Tuis, magno conamine,  
Ut benè succedant, mente favente

M. Joachimus Ernestus  
Scholæ Rostoch.



*Abarbanel in comm. ad c. V. v. 18. Esai.  
ex Mass. Succ. cap. I.*

יום להוּת חשורה ולבכוף נעשה כעבותות העגלת:  
Concupiscentia mala ab initio similis est pilo; sed in fine fit

P Rincipiis obsta, serò medicina paratu  
Ut sanet, noscat principium, Med  
Jam quoque cura *Tibi*, tractas ab origine  
Noscendi: studium noscitur inde T

*Præeximio atq; Autori hujus disserta  
Amico ac Commensali suo bonorat  
signific: appon*

M. Johannes Georgiu

  
I Ngenio quantum valeas LUTKMAN  
Et docet hic fœtus, fertilis ingenii.

